



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 22. A Gregorio XIII. Indulgentijs & vijs adornatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

*A Gregorio XIII. Indulgentijs, & vijs egregijs
adornatur. Cap. XXII.*

Secutus Gregorius XIII. Pont. Max. superiores Pontifices, vt Pontificatus diurnitate, ita Lauretanæ Virginis religione, ac magnitudine animi vicit. Nihil enim habuit prius, quam vt maxime inclyto in terris templo, si quid deesset, munifice adijceret. Itaque Indulgentias superiorum Pontificum non sua tantum firmavit auctoritate; sed prudentia etiam amplificavit. omnibusque promiscue Lauretanam Aedem visentibus cūctorum indulfit veniam delictorum. Pœnitentiariorum insuper auctoritatem auctiorem fecit, addita cœnobarum quoque à delictis referuatis absoluendorum facultate. Illud vero insignè Gregorij donum. Indicta in annum M. D. LXXV. Iubilæi celebritate, Indulgentijsque toto orbe terrarum, vt fieri solet, in Urbis gratiam suspensis, vnā excepit Aedem Lauretanam, quam nihilo secius, quam cæteris annis, illo quoque Romanæ celebritatis anno, ius suum obtinere voluit: ne Romana frequentia quicquam de Lauretana decerperet. Quin etiam Iubilæi anno circumactō, illam ipsam, quæ Romæ fuerat, Lauretano templo concessit Indulgentiam, quam etiam Romæ adepti denuo Laureti consequerentur, si præscripta fecissent. Inde orsus magnificum opus, & tali Pontifice, ac Lauretana maiestate dignum. Satis gnarus erat vias, quæ Lauretum ferebant, etiam in ipsa Pontificia ditone multis locis esse asperas, angustasque; vix vt equiti, peditique expeditus pateret aditus. Pulchrum fore B. Mariæ Lauretanæ ratus est, itinera adeo lata, ac munita esse, vt etiam quadrigis facile ac tuto adiri posset. Itaque præcipuas vias regio sumptu, prope ad veterem illam Romanorum magnificentiam, etiam per saxa ac rupes aperuit muniuitque. Nem-

*Ann. Laur.
Kiera.*

pe, vel in ipsis Apennini iugis via tanta est amplitudine, ut quadrigę inter se occurrentes sine periculo commeent. Ita Pontifex perfecit (quod nisi factum videremus fieri posse nemo crederet) ut effedis, quadrigisque expeditus per Apenninos montes, ac iuga transitus pateret ex Vrbe, non solum in Picenum, sed etiam in Aemiliam, in Galliam Cisalpinam, in Poloniam, ipsamque Germaniam. Ergo ex remotissimis quoque orbis Christiani partibus plurimi rhædis, effedisque vehuntur Lauretum, inuitante itineris commoditate, quos difficultas antea deterrebat. Inter hæc Saxatellus vijs præcipuis circa Lauretū laterculo, aut glareæ stratis egregie ornatos addidit fontes, haud parua vel Lauretanæ peregrinationis decora, vel solatia peregrinorum.

Celebritas Lauretana sub annum Iubilei.

Cap. XXIII.

*Anna. Laur.
Rier.*

INterim dum viæ sternuntur, anno M D LXXVI. qui Iubilei celebritate insignis extra Urbem fuit, tanta vis hominum confluit Lauretum, quantam nemo meminerat. Pompa utique adeo insignis, ut etiam posteris memorabilis sit futura. Quotidie septenæ, octonæue, nonnunquam etiam denæ ciuitates, seu pagi, vicique distincti agminibus Lauretum veniebāt, argenteas coronas, ingentes cereos aureis, argenteisue nummis obfitos, sacras vestes, calices, aliaque dona B. Mariæ ferentes. Et ordo, ornatusque venientium religionem spirabat. Sacræ quippe sodalitates agminibus, insignibusque discretæ, non solum prælatis crucibus auro, argentoque fulgentibus, sed vexillis etiam conspicuis, & Angelorum, Diuorumque personis suum quæque agmen ornauerant. In singulis porro agminibus, alij nudis incedebant pedibus, alij flagris nuda, & cruenta sibi terga cædebant: alij Deo, ac B. Mariæ